

«INTVS MONACHI, FORIS APOSTOLI»

De Archiabbatia Ottiliensi eiusque historia (68)

5.1.3. De Abbate Coadiutore deque eius primis actionibus

Post iter circiter duarum septimanarum¹ Chrysostomus Schmid die 28^o m. Iul. a. 1930^o in Archiabbatiam Ottiliensem advēnit.² Archiabbas Norbertus ipse Coadiutorem in statione ferroviariā Geltendorfiensi expectavit, ut eum ad receptionem officialem in Archiabbatiā faciendam comitaretur. Conditio certe erat vere commovens, cum Archiabbas Norbertus, cui inde ab illo temporis momento responsalitas Archiabbatiae non iam erat, Coadiutorem salvere iussit atque «filios spiritales» suos in eius manūs tradidit. Tamen tota res non tam simplex neque tam plena harmoniae erat, uti in receptione officiali videbatur. Nam Conventus divisus erat: pars quaedam monachorum severius genus ducendi ab Abbate Chrysostomo expectandum (et hunc in modum emolumenta sua amittenda)³ timuit, pars quaedam monasterii moderationem mutatam laudaverunt, etiamsi illi monachi Archiabbatem Norber-

1 Monachi Ottilienses demum die 17^o m. Iul. a. 1930^o compererant, quis futurus Abbas Coadiutor institutus esset. Scitū dignum est Chrysostomum Schmid fuisse eum, quem monachi ipsi in «electione» maioriata votorum proposuerant. - De toto conexū *cfr* cap. 4.14.4.

2 *Cfr* Chron. Ottil., med. m. Iun./fin. m. Aug. a. 1930; Ann. Ottil., 28.7.1930, p. 116 (ASO, A.3.4.4); Thomas SPREITER: Tagebuch, 28.8.1930 (ASO, A.1.8.1); Chrysostomus SCHMID: Geschichte von Tragöss (18.2.1946), p. 2 (ASO, A.4.2; ASO, A.1.8.1); Leander BOPP (1952), p. 62 (ASO, D II). Frumentius RENNER: Entfaltung. In: Leuchter 2 (²1992), p. 40 de fine mensis Iulii scribit; Godfrey SIEBER (2016), S. 116 tantummodo mensem Iulium indicat; Cyrill SCHÄFER (2005), p. 173 initium mensis Augusti fuisse scribit.

Chrysostomo Schmid in animo quidem fuerat propter iubilaea sacerdotum monachorumque professorum celebranda demum Kalendis Augustis e Monaco veniens ad Archiabbatiam vehi (*cfr* epistula Chrysostomi Schmid die 28 m. Iul. a. 1930 ad Fidelem von Stotzingen missa (ASA, APr 578); Ann. Ottil., 28.7.1930, p. 116 (ASO, A.3.4.4)), sed Archiabbas Norbertus Priorem P.rem Martinum Malter Monacum miserat, ut Coadiutorem iam in diem 28^{um} m. Iul. ad Archiabbatiam comitaretur (*cfr* Ann. Ottil., 28.7.1930, p. 116 (ASO, A.3.4.4)).

3 Iam ante adventum Coadiutoris nonnulli Patres monasterium reliquerunt, sive omnino sive saltem ad tempus quoddam dimissi. Etiam moderatione mutatā nonnulli Patres se Archiabbatiam relicturos esse decreverunt. - Chrysostomus Schmid praeterea commentarios negativos ab quibusdam prolatis audire debuit (*cfr* Chrysostomus SCHMID: Geschichte von Tragöss (18.2.1946), S. 2 (ASO, A.4.2; ASO, A.1.8.1)). - Ipsius autem modus generaliter se gerendi atque attentio in alios tamen a multis magni aestimabatur. - De hac re *cfr* fusius cap. 4.14.4.

tum generaliter aestimaverunt, pars vero quaedam Conventūs condicionem magis neutraliter perceperunt.

Tamen Abbas Chrysostomus statim in statum pecuniarium Archiabbatiae atque in Tragoessianum problema urgentissimum incumbere coactus erat. Ut eum de toto conexū singillatim certiore faceret, Abbas Primas eum Schiram vocavit.⁴ Ibīdem die 4^o m. Aug. a. 1930^o sessio cum Abbate Primate Fideli von Stotzingen atque Abbate Simone Landersdorfer instituebatur, quā Abbas Chrysostomus totam magnitudinem calamitatis percepit, de quā usque ad illud temporis momentum nihil certi sciverat.⁵ Secundum ea, quae ipse dixerat, de iis rebus, quas audiverat, ex imo affectus erat et Archiabbatiae collapsum pecuniarium timuit.

Die 7^o m. Aug. 1930^o satis celeriter post hōc colloquium, quō Abbas Chrysostomus nuntios acerbissimos perceperat, sessio commissionis pecuniariae Visitatione postulatae instituebatur. Hanc sessionem praeter alios participaverunt Abbas Primas Fidelis von Stotzingen, Abbas Simon Landersdorfer, Archiabbas Norbertus Weber, Abbas Placidus Vogel, Abbas Coelestinus Maier, Abbas Coadiutor Chrysostomus Schmid, P. Optatus Pfäfflin et ut repraesentantes Conventūs Ottiliensis P. Chrodegangus Hartmann atque cellerarius secundus P. Hartvigus Bachmeier.⁶

Tamen hac in sessione plures difficultates iam praesagiri potuerunt. Nam P.ri Optato Pfäfflin,⁷ qui Vindobonae res Tragoessianas curare destinatus erat,


4 Cyrill SCHÄFER (2005), pp. 173 sq. scribit Chrysostomum Schmid statim, postquam in Germaniam advēnit, ex urbe Monaco ad hanc consultationem Schiram vectum esse et denique deinde in Archiabbatiam Ottiliensem. Sed hōc cum fontibus non congruit.

5 *Cfr* Ann. Ottil., 5.8.1930, p. 120 (ASO, A.3.4.4), ubi legitur Abbatem Chrysostomum die 2^o m. Aug. a. 1930^o ad consultationes habendas Schiram profectum esse; Chrysostomus SCHMID: Geschichte von Tragöss (18.2.1946), pp. 2 sq. (ASO, A.4.2; ASO, A.1.8.1). - De hōc themate etiam Cyrill SCHÄFER (2005), pp. 173 sq.

6 *Cfr* Chrysostomus SCHMID: Geschichte von Tragöss (18.2.1946), pp. 3 sq. (ASO, A.4.2; ASO, A.1.8.1); Optatus PFÄFFLIN: Rund um Tragöss (18.6.1956), p. 9 (ASO, A.4.2). In Annalibus, 5.8.1930, p. 120 (ASO, A.3.4.4) adnotatur loco P.ri Maximiliani Freist, pristini cellerarii primi, qui commeatum sibi dandum curaverat, P.rem Chrodegangum Hartmann ut repraesentantem cum iure suffragii et P.rem Hartvigum Bachmeier, cellerarium secundum ut repraesentantem cum voto consultatorio electos esse.

7 P. Optatus Pfäfflin, natus die 26^o m. Iun. a. 1891^o in urbe Stutgardia in dioecesi Rottenburgensi-Stutgardiensī sitā vota sua die 4^o m. Iul. a. 1922^o in Archiabbatiā Ottiliensi protulit et die 3^o m. Apr. a. 1927^o sacerdotio auctus est. Inter annos 1928^{um} et 1930^{um} Meschetis in fundatione Ottilianā ibīdem faciendā versatus est, inter annos 1930^{um} et

sed propter agendi modum retardandum Archiabbatis Norberti munus nondum suscipere potuit,⁸ colloquio cum Archiabbate habito suspicio argumentis firmata erat de possessione actiarum officinae Reichraminger aliquid non bene se habere.⁹ De hac re Abbatem Primatem certiore fecit, qui inter ipsam sessionem de hac quaestione sermonem fecit. Fidelis von Stotzingen itaque Archiabbatem Norbertum bis interrogavit, num actiae in eius possessione essent, et bis responsum rem confirmandum accepit.¹⁰ Cum autem tota condicio Tragoessiana adhuc omnino non clara esset, unicus effectus huius sessionis alicuius momenti in eo erat, quod Abbati Coelestino Maier mandatum est datum, quo Vindobonam atque ad praedium Tragoessianum veheretur, ut ibidem circumspiceret et fortasse aliquid certius comperiret.¹¹



P. Optatus Pfäfflin.

Sed antequam solutioni problematum urgentium amplius operam dari potuit, primo eventus magni momenti instabat, nempe abbatialis benedictio Chrysostomi Schmid. Voto verbis expresso Chrysostomi Schmid haec sollemnitatis omni tranquillitate, in minimo circulo atque quam simplicissime peragenda

1938^{um} rebus Tragoessianis occupatus erat. P. Optatus die 21^o m. Iun. a. 1977^o in Archiabbatiā Ottiliensi vitā functus est. - *Cfr* Necrologium 2015, nr 0893, p. 89; ASO, A.1.1 (PA Pfäfflin). - P. Optatus Pfäfflin etiam eā de causā speciatim aptus erat ad quaestiones Tragoessianas tractandas, cum, antequam monasterium intravit, eruditionem mercatoriam absolvisset.

- 8 Ille modus retardatus Archiabbatis Norberti cohaerebat cum condicione, quā nolebat fratres Stirling, qui interea in rebus Tragoessianis habuerunt dicendum, aliquo modo incommodari.
- 9 Cum Vindobonensi officina Reichraminger contractus initus erat, qui ad administrationem Tragoessiani praedii silvestris atque ligna ibidem caedenda spectabat. Internā mutatione huius officinae factā, quae tamen societas anonyma mansit, «Culturalis Societas» maiorem partem actiarum possidebat, quae in manū Archiabbatis Norberti erant. P. Optatus autem suspicatus est, cum Archiabbas de satisfactione fratribus Stirling praebendā, quam pro laboribus iam factis atque adhuc faciendis acceperant, locutus esset, eum illas actias fratribus Stirling tradidisse. - De hac re *cfr* cap. 4.14.2.
- 10 *Cfr* Chrysostomus SCHMID: Geschichte von Tragöss (18.2.1946), p. 4 (ASO, A.4.2; ASO, A.1.8.1).
- 11 *Cfr* Optatus PFÄFFLIN: Rund um Tragöss (18.6.1956), p. 9 (ASO, A.4.2).

erat.¹² Eius causae inveniendae erant in respectu erga Archiabbatem Norberti atque in condicionibus generalibus Ottiliensibus, quibus festa magna revera non erant convenientia. Dies benedictionis abbatialis in diem 10^{um} m. Aug. a. 1930^o constitutus est.¹³ Ipsam benedictionem abbatialem praebuit Monacen-



*Abbatialis benedictio Abbatis Chrysostomi Schmid.
In serie primā sedentes (a sinistris): Archiabbas Norbertus Weber, Abbas Chrysostomus Schmid, episcopus suffraganus Iohannes Baptista Schauer, Abbas Primas Fidelis von Stotzingen, Abbas Placidus Glogger.
In serie secundā stantes (a sinistris): Abbas Coelstinus Maier, Abbas Simon Landersdorfer, Abbas Placidus Vogel.*


sis episcopus suffraganus Iohannes Baptista Schauer et ut assistantibus functi sunt Abbas Placidus Glogger Augustanus atque Abbas Placidus Vogel Suarzacensis. Praeterea participaverunt Archiabbas Norbertus Weber, Abbas Coelestinus Maier Swickersperchiensis, Abbas Primas Fidelis von Stotzingen atque Abbas Simon Landersdorfer Schirensis.¹⁴ Alii hospites non aderant et etiam acta diurna de die benedictionis certiora non sunt facta.

Monachis autem Ottilianis illi dies sensibus mixtis coniuncti erant. Benedic-

12 Hoc votum Chrysostomus Schmid iam protulerat in epistolā suā die 28 m. Iul. a. 1930 ad Fidelem von Stotzingen datā (ASA, APr 578). Apud ipsum certe aures apertas invēnit.

13 *Cfr* Ann. Ottil., 9.8.1930, pp. 121 sq.; 10.8.1930, p. 123 (ASO, A.3.4.4); Chrysostomus SCHMID: Geschichte von Tragöss (18.2.1946), p. 4 (ASO, A.4.2; ASO, A.1.8.1); Frumentius RENNER: Norbert Weber. In: Adolf LAYER (ed.) (1976), p. 345; Frumentius RENNER: Entfaltung. In: Leuchter 2 (21992), p. 40; Cyrill SCHÄFER (2005), p. 174; Godfrey SIEBER (2016), p. 116.

14 *Cfr* Chron. Ottil., medio Iun. / fin. Aug. 1930; Ann. Ottil., 9.8.1930, pp. 121 sq.; 10.8.1930, p. 123 (ASO, A.3.4.4). - De sollemnitate benedictionis abbatialis etiam breviter Cyrill SCHÄFER (2005), p. 174.



Abbas Chrysostomus Schmid.

tio abbatialis unā ex parte eis erat eventus laetus, cum reverentiam erga novum Abbatem senserunt et speraverunt fore, ut stabilitas quaedam atque melioratio condicionis difficillimae exorirentur, alterā ex parte tamen erat dies tristis, cum Archiabbas Norbertus, qui tam diu Archiabbatiae praeerat et quocum coniuncti se senserunt, hōc munus deponere coactus esset.¹⁵ Abbas Chrysostomus etiam abbatiale dictum aptum sibi elegit, quod non solum conditioni praesenti atque problematis multiplicibus, quae solvere debuit, conveniebat, sed - ut tempus futurum monstraturum erat - etiam multis rebus, quae tempore abbatiali ipsi instabant. Itaque dictum eius abbatiale erat hōc: «*Christo confixus cruci*».¹⁶ Manifestatur haec sententia quōque insigni abbatiali, quo bis clavi crucis (nigri in areā albā) et bis crux insignis Archiabbatiae (alba in areā rubrā) monstrantur.¹⁷ Die 11^o m. Aug. a. 1930^o, itaque uno die post benedictionem abbatialem, missa valedictoria Archiabbati Norberto destinata celebrabatur,¹⁸ qui deinde

15 Hunc sensuum statum monachorum Annalista fusius descripsit (*cf.* Ann. Ottil., 9.8.1930, pp. 121 sq. (ASO, A.3.4.4)).

16 Haec sententia deprompta est ex epistulā ad Galatos directa 2,19/20: «*ego enim per legem legi mortuus sum, ut Deo vivam, Christo confixus sum cruci; vivo autem iam non ego, vivit vero in me Christus.*»


In epistulā suā die 3 m. Iul. a. 1930 ad Fidelem von Stotzingen directā (ASA, APr 578) Chrysostomus Schmid iam scripsit «*Christo confixus sum cruci*» demonstrans, quomodo hac condicione se sentiret.

17 Clavi ad nomen gentilicium quōque Schmid (= faber ferrarius) alludere dicuntur. - De insigni abbatiali *cf.* etiam Heribert C. STAUFER / Cyprian DERING (edd.): Album heraldicum Congregationis Ottiliensis. St. Ottilien 2017, p. 10.

18 *Cf.* notitia brevis in Ann. Ottil., 11.8.1930, p. 123 (ASO, A.3.4.4).

Die 25^o m. Aug. a. 1930^o Archiabbas Norbertus et Abbas Chrysostomus unā scriptum ab utroque subscriptum divulgaverunt (ASO, A.1.8.1), quo mutationes in Archiabbatiā Ottiliensi factas et divisionem munerum explicaverunt. Etiam hōc locō iterum - sicut iam in symbolis diurnariis, quae Coadiutoris electionis causā in Archiabbatiā compositae erant - laborum nimietatem Archiabbatis ante oculos posuerunt, quā talis modus progrediendi necessarius factus esset. Tamen hōc quōque in scriptō facta non exacte exhibentur, cum legatur «*Sedem Apostolicam de divisione horum duorum munerum rogatam*» esse. - Textus originaliter Theodiscus.

Archiabbatiam reliquit.¹⁹ His eventibus actis condiciones usitatae denuo vigere coeperunt, si problematis urgentibus difficultatibusque, quae solutione celeri indigebant, revera de rebus usitatis sermonem facere licet. Primo Abbas Coelestinus Maier in initio mensis Septembris ad praedium Tragoessianum atque Vindobonam vectus est, ut ibi conditionem valentem exploraret. Illa autem pauca, quae compertus est, sufficebant quidem, ut post reditum colloquio in Abbatiā Swickersperchensi habito Abbatem Chrysostomum et P.rem Optatum commoveret, ut ipsi Vindobonam itinerarentur.²⁰



*Abbatiale insigne
Chrysostomi Schmid.*

Itaque ambo Vindobonam vecti sunt, ut colloquio cum fratribus Stirling directe faciendo de statu rerum Tragoessianarum certiora comperirent. Hōc colloquium die 30^o m. Sept. a. 1930^o institutum est.²¹ Disputatio autem, quo agebatur de variis quaestionibus, modo vere iniucundo transactum est, sicut apud Eugenium von Stirling erat in usu. Nihilominus Abbati Chrysostomo atque P.ri Optato contigit, ut Eugenium von Stirling adducerent, ut confiteretur se actias officinae Reichraminger possidere et Archiabbatem Norbertum eas ipsi tradidisse ut remunerationem pro contractū lignorum caedendorum perfectō et ut solutionem in antecessum praebitam pro laboribus proximorum quindecim annorum.²²

P. Optatus ergo recte suspicatus erat.²³ Tamen condicio his factis eo magis peiorata est, cum actiis traditis «Culturalis Societas Tragoessiana» et hunc in modum etiam Archiabbatia Ottiliensis in plures difficultates intrudebantur. Nam rebus sic stantibus non iam ulla subsidia pecuniaria ad praedium silve-

19 Archiabbas Norbertus denique Monacum se contulit, ubi in Instituto Ottiliensi habitavit atque inde ut praepositus Congregationis operari voluit.

20 *Cfr* Chrysostomus SCHMID: Geschichte von Tragöss (18.2.1946), p. 4 (ASO, A.4.2; ASO, A.1.8.1); Optatus PFÄFFLIN: Rund um Tragöss (18.6.1956), p. 10 (ASO, A.4.2).

21 *Cfr* Chrysostomus SCHMID: Geschichte von Tragöss (18.2.1946), p. 4 (ASO, A.4.2; ASO, A.1.8.1); Optatus PFÄFFLIN: Rund um Tragöss (18.6.1956), p. 10 (ASO, A.4.2). - Optatus PFÄFFLIN: Tagebuch, 1.11.1930 (ASO, 1.8.1) breviter de illo die adnotavit se die 5^o m. Sept. a. 1930^o primā vice Vindobonae fuisse.

22 *Cfr* Chrysostomus SCHMID: Geschichte von Tragöss (18.2.1946), p. 4 (ASO, A.4.2; ASO, A.1.8.1); Optatus PFÄFFLIN: Rund um Tragöss (18.6.1956), p. 10 (ASO, A.4.2).

23 De rebus singulis *cfr* cap. 4.14.4.

stre administrandum in promptu erant et pecuniarius collapsus Archiabbatiae quōque eo clarius ante oculos positus est. Solutio variorum problematum eo difficiliter reddita est.

Illis curis prementibus scilicet umeri Abbatis Chrysostomi onerati sunt, sed eidem tamen agendum erat, cum tunc esset responsalis. Itaque a conaminibus Archiabbatiae Congregationsque servandae consolidandaeque et decoctionis vitandae discedere noluit.²⁴ In hōc calamitatis culmine - tamen nondum ultimo - Abbas Primas Fidelis von Stotzingen Abbati Chrysostomo suaserat, ut ad Cardinalem secretarium statalem Eugenium Pacelli se converteret, qui modo in Helvetiā commoratus est, atque ab ipso consilium auxiliumque peteret. Itaque Abbas Chrysostomus in Helvetiam vectus est et ibidem die 28^o m. Sept. a. 1930^o cum Eugenio Pacelli colloquium habuit, cui relationem de difficili condicione Archiabbatiae exhibuit.²⁵ Pacelli, qui scilicet illo temporis momento auxilium ferre non valuit, Abbatem Chrysostomum Romam ad Praefectum Propagandae Cardinalem Vilelmum van Rossum misit.²⁶ Sine dubio Abbas Chrysostomus die 29^o m. Sept. a. 1930^o iter suum statim continuavit Romam petens, quamquam Eugenius Pacelli putavit etiam hōc colloquium non magnum effectum exserturum esse. Tamen bonum erat Cardinalem secretarium statalem tunc de condicionibus certiorum factum esse. Romae Vilelmus van Rossum, cui modo tempus non erat, quo in problemata Ottiliana incumbere posset, eum ad secretarium suum Cārolum Salotti misit. Unā cum P.re Gabriele Locher, secretario Abbatis Primatis, Abbas Chrysostomus hōc colloquium cum Cārolo Salotti instituit, quod atmosphaerā non ita bonā factum est. Sed neque Vilelmus van Rossum neque Cārolus Salotti ad problemata solvenda aliquid attribuere potuerunt neque voluerunt. Illa commoratio Romana itaque in irritum cecidit.

Die 30^o mensis Septembris Abbas Chrysostomus iterum in Germaniā versabatur et de proximis gressibus faciendis tam consilii expers erat quam antea.²⁷ Insuper domi plura problemata eum expectaverunt, quae scilicet

24 De conexibus atque eventibus huius phasis *cf.* fusius cap. 4.14.5.

25 *Cfr.* Chrysostomus SCHMID: Geschichte von Tragöss (18.2.1946), p. 5 (ASO, A.4.2; ASO, A.1.8.1); Hartmut MADL (1999), p. 253. - Eugenius Pacelli inter annos 1917-1930 ferias suas aestivas Rorsaci [*Rorschach*] peragere solebat.

26 *Cfr.* Chrysostomus SCHMID: Geschichte von Tragöss (18.2.1946), p. 5 (ASO, A.4.2; ASO, A.1.8.1).

27 *Cfr.* Chrysostomus SCHMID: Geschichte von Tragöss (18.2.1946), p. 6 (ASO, A.4.2; ASO, A.1.8.1).

cum problemate principali cohaerebant. Nam directores argentariae, quae est «Commerzbank», Abbatem Chrysostomum adierunt postulantes, ut pecunia credita, quam illa argentaria praeberat, solveretur.²⁸ Illos creditores ad tempus aliquatenus tranquilliores reddere valuit eis indicans propter difficultates generales Romam se conversurum esse.²⁹ Sed haec perturbatio non sufficiebat. Nam Rudolfus von Leuzendorf, prior possessor praedii silvestris, et in oppido Leoben et Aeniponti³⁰ actionem instituit, quā postulavit, ut reliqua emptionis summa pecuniaria solveretur.³¹

Problemata ergo pecuniaria magis magisque urgentia reddita sunt, quā de causā omnino necessarium esse videbatur, ut satis celeriter maior summa pecuniae creditae condicionibus opportunis acquireretur. Tale inceptum iam per se non tam facile erat, sed statū Archiabbatiae vigente erat praesertim difficile. Itaque Abbas Chrysostomus in «Helveticā Argentariā Cooperativā»³² Gallo-politanā³³ pecuniam creditam denuo petere statuit.³⁴ Colloquium cum directore Iosepho [*Josef*] Ricklin die 15^o m. Oct. a. 1930^o habebatur, cui tamen effectus prosper non erat, cum neque Archiabbatia Ottiliensis neque «Culturalis Societas Tragoessiana» cautionem pro pecunia praebita offerre potuerunt.³⁵ Sed consultationes nondum omnino finitae erant.

Interea P. Optatus Pfäfflin Vindobonae labores suos suscepit³⁶ atque conspectum «Culturalis Societatis» condicionis calamitosae, quae revera erat,

28 Agebatur de magna summa pecuniae creditae ad praedium silvestre Tragoessianum emendum, quae novem et dodrante centesimis usurarum constitit et cuius summa decursū temporis usuris non solutis multo aucta erat.

29 Cfr Chrysostomus SCHMID: Geschichte von Tragöss (18.2.1946), p. 6 (ASO, A.4.2; ASO, A.1.8.1); Hartmut MADL (1999), p. 254.

30 Innsbruck. - Cfr Carolus EGGER (1977), p. 264.

31 Agebatur de pecunia 2,2 millionum scellinorum, quae contractū reconciliationis die 31^o m. Ian. a. 1929^o iuncto ei debebantur et quae hypothecā praedio silvestri impositā tuto praestabantur, sed quae tamen nondum soluta erat. - Cfr Chrysostomus SCHMID: Geschichte von Tragöss (18.2.1946), p. 6 (ASO, A.4.2; ASO, A.1.8.1); Hartmut MADL (1999), p. 254. - De dissensionibus cum Rudolfo von Leuzendorf propter reliquam summam pecuniariam emptionis habitis cfr fusius cap. 4.13.4.2.

32 Schweizer Genossenschaftsbank.

33 Gallopolis: St. Gallen. - Cfr Carolus EGGER (1977), p. 274.

34 Iam antea aliquando P. Aloisius Seibert brevem contactum cum hāc argentariā habuerat.

35 Cfr Chrysostomus SCHMID: Geschichte von Tragöss (18.2.1946), p. 6 (ASO, A.4.2; ASO, A.1.8.1); Hartmut MADL (1999), p. 255.

36 De rebus, quas P. Optatus Pfäfflin illo spatio temporis fecerat, cfr fusius cap. 4.14.5.

sibi acquisiverat.³⁷ Eius relatione, quam in commissionis pecuniariae sessione iam diutius constitutā die 22^o m. Oct. a. 1930^o fecit, omnes participes perturbatione animi affecti sunt, quamquam grati quōque erant se tandem aliquando conspectum realitati convenientem accepisse.³⁸ Commissionis autem pecuniariae sessione, quae immediate sequebatur et cui solum nonnulli sodales selecti participaverunt, tamen solutio apta problematis non est inventa. Secundum sententiam Abbatis Primatis, qui utrique sessioni interfuit, unicum effugium erat in eo, ut iterum Romam se converterent.

Illā autem condicione difficillimā Abbas Primas Fidelis von Stotzingen urgebat modum agendi celerem esse necessarium. Itaque ipse unā cum Abbate Chrysostomo iam die 24^o m. Oct. a. 1930^o Romam vectus est.³⁹ Ibīdem Abbas Primas et cum Cardinali Vilelmo van Rossum et cum Cardinali secretario statali Eugenio Pacelli consultationes iniit. Nihilominus in utroque casū sine effectū, cum uterque subsidium pecuniarium recusavit. Hac repulsā acceptā Fidelis von Stotzingen et Chrysostomus Schmid longis colloquiis habitis ad conclusionem pervenerunt optimum esse atque nihil aliud relinqui ac Abbatem Coelestinum Maier reddere Administratorem. Imprimis Abbas Primas existimavit eum hōc munus exanclare valere.⁴⁰ Ut hōc propositum susentarent, Abbas Primas etiam Congregationem Religiosorum atque papam convertere valuit. Itaque Abbas Coelestinus telegraphice monitus est, ut celerrime Romam veniret. Ibīdem autem ille iam die 29^o m. Octobris advēnit.⁴¹ Interea Abbas Primas curavit, ut Coelestinus Maier redderetur

37 P. Optatus in numeris exacte computandis comperit detrimentum usque tunc exortum fuisse circiter 1.131.644 scellinorum (= 667.670 marcarum) et annum detrimentum futurum exsistimavit fore 400.000 marcarum.

38 De hac sessione deque relatione *cf.* Optatus PFÄFFLIN: Rund um Tragöss (18.6.1956), S. 19 (ASO, A.4.2).

39 *Cf.* Chrysostomus SCHMID: Geschichte von Tragöss (18.2.1946), p. 8 (ASO, A.4.2; ASO, A.1.8.1); Hartmut MADL (1999), p. 256; Cyrill SCHÄFER (2005), p. 177, qui finem mensis Octobris indicat.

40 Iam in commissionis pecuniariae sessione speciali Fidelis von Stotzingen Abbatem Coelestinum directe interrogaverat, num munus Archiabbatiae consolidandae se suscipere posse ipse arbitretur, et ab eo responsum positivum acceperat.

41 Sicut scribunt Chrysostomus SCHMID: Geschichte von Tragöss (18.2.1946), p. 8 (ASO, A.4.2; ASO, A.1.8.1) et Hartmut MADL (1999), p. 256, hōc telegraphema die 28^o m. Oct. a. 1930^o ad Coelestinum Maier missum est. Sed ipse Coelestinus Maier in epistolā suā die 24 m. Dec. a. 1930 ad Thomam Spreiter directā (ASO, Z.3.01.11.1) scribit telegraphēma die 29^o m. Oct. sibi allatum esse et se eodem die Romam vectum esse. Cum autem - ut

Administrator, ad quam rem satis celeriter documenta necessaria accepit.

Die 4^o m. Nov. a. 1930^o Congregatio Religiosorum documentum officiale exhibuit, quo Abbas Coelestinus Maier institutus est Apostolicus Administrator in temporalibus.⁴² Hōc decreto Administratori plena potestas dirigendi de pecuniā, id est de acceptis atque expensis, Archiabbatiae Ottiliensis eiusque domorum dependentium, quae in Europā, in Americā Septentrionali atque in insulis Philippinis sitae erant, praeterea Abbatiae Suarzancensis atque Abbatiae Swickersperchiensis, ut hac administratione communi interitum Archiabbatiae arceretur, contributa est.⁴³ Imprimis vi pecuniariā Abbatiarum Suarzacensis Swickersperchiensisque aliquid ad inceptum servandi attribuendum erat.⁴⁴ Modus autem progrediendi varii generis relationibus, quas Administrator exhibere obligatus erat, perspicuus reddebatur.⁴⁵

omnes indicant - Abbas Coelestinus hoc telegraphema inter sollemnitatem benedictionis episcopalis Iosephi Kumpfmüller accepit, quae die 28^o m. Oct. celebrata est, ipse Coelestinus Maier in die indicando errat.

42 Decretum (ASO, A.2.1.2; ASO, Z.3.01.11.1). - *Cfr* etiam Chrysostomus SCHMID: Geschichte von Tragöss (18.2.1946), p. 9 (ASO, A.4.2; ASO, A.1.8.1); Optatus PFÄFFLIN: Rund um Tragöss (18.6.1956), p. 19 (ASO, A.4.2); Optatus PFÄFFLIN: Kulturverein Tragöss (1945/46), p. 4 (ASO, A.4.2); Leander BOPP (1952), p. 61 (ASO, D II) [omnes diem non indicantes]; epistula Coelestini Maier die 24 m. Dec. a. 1930 ad Thomam Spreiter directa (ASO, Z.3.01.11.1); epistula Martini Malter die 11 m. Dec. a. 1930 ad Thomam Spreiter data (ASO, Z.1.03); Thomas Spreiter: Tagebuch, 5.12.1930 (ASO, A.1.8.1); Hartmut MADL (1999), p. 258; Cyrill SCHÄFER (2005), p. 177; Godfrey SIEBER (2016), p. 116. - Johannes MAHR: Norbert Weber. In: Godfrey SIEBER / Cyrill SCHÄFER (edd.) (2003), p. 173 scribit Coelestinum Maier inde a die 2^o m. Dec. a. 1930^o de tota pecunia Congregationis responsalem fuisse, et hunc in modum falsum terminum indicat. - Frumentius RENNER: Entfaltung. In: Leuchter 2 (²1992), p. 40 affirmat Abbatem Coelestinum proposito Abbatis Chrysostomi «Administratorem» praedii silvestris Tra-goessiani redditum esse (expressis verbis indicans «non «Apostolicum Administratorem»»). Utrumque falsum est.

43 Breviter de hōc decreto *cfr* etiam Chrysostomus SCHMID: Geschichte von Tragöss (18.2.1946), p. 9 (ASO, A.4.2; ASO, A.1.8.1); Hartmut MADL (1999), p. 258; Cyrill SCHÄFER (2005), p. 177.

44 Johannes MAHR (2009) 2, p. 54 hōc in conexū scribit «*Abbatias patrias revera solvendo pares non fuisse*», id quod de Abbatia Swickersperchiensi et de Abbatia Suarzacensi non valebat.

45 Regiones autem missionariae secundum Vilelmum van Rossum modo directo ad pecuniam erogandam non adhiberentur. Tamen omnes pecuniae, quae sub titulo generali, qui est «pro missione», afferebantur, in summā ad Archiabbatiam Ottiliensem consolidandam adhiberi licebant. Pecunia, quae hunc in modum regionibus missionariis subtrahebatur, a Congregatione de Propaganda Fide suppletum iri. - *Cfr* Ann. Ottil,

Cum Abbas Chrysostomus et Abbas Coelestinus e Roma reverterentur, Gallopoli iterum ad «Helveticam Argentariam Cooperativam» se contulerunt, ut cum directore Iosepho Ricklin colloquia iterata propter pecuniam creditam instituerent, cum interea condicio mutata esset. Hae consultationes die 3^o m. Nov. a. 1930^o fiebant.⁴⁶ Facultatibus enim Abbati Coelestino ut Administratori praebitis fiducia quaedam esse potuit consolidationem ad bonum effectum adduci posse. Itaque plures consultationes constituebantur et nova pecunia credita est proposita.

Immediate post reditum suum ad Archiabbatiam Abbas Chrysostomus die 5^o m. Nov. a. 1930^o sessionem Conventūs exhibuit, quā de omnibus rebus, quae interea de problematis Tragoessianis deque toto statu periculoso compererat, aperte rettulit.⁴⁷ Praeterea Abbatem Coelestinum Maier institutum esse Administratorem atque sequelas, quae Administratio secum ferret, erat thema. Etiamsi relatio erat dura et facta ipsa erant perturbantia, monachi explanationem claram atque veritati convenientem perceperunt ut fiduciam excitantem. Hunc in modum Abbas Chrysostomus etiam statum suum atque fiduciam in ipsum firmavit. Tamen illo temporis momento periculum instans nondum mutatum est.

Archiabbas Norbertus de his omnibus rebus paene non iam quicquam agendum habuit. Tamen administratio Congregationis, quae eius res erat, decursū temporis difficilior facta est, cum aliis Superioribus Congregationis fiduciam in ipsum non iam haberent et ipse hanc deficientiam fiduciae etiam sentiret. Magis magisque ab aliis se recepit, quā re cooperatio in quaestionibus quōque Congregationis difficilior reddita est. Talis condicio scilicet invicem amplificata est. Inde effectum est, ut reliqui Superiores Congregationis et Abbas Primas quōque paulatim de muneris abdicatione definitivā Archiabbatis Norberti deliberarent et de hac quaestione consilia haberent. Sed antequam ipsi cum Norberto Weber de hac re loqui potuerunt, idem miro

5.11.1930, p. 133 (ASO, A.3.4.4). - Ad hanc rem etiam Cyrill SCHÄFER (2005), p. 177. - Hoc consilium non revera operari iam praevideri potuit.

46 De his colloquiis *cfr* breviter Chrysostomus SCHMID: Geschichte von Tragöss (18.2.1946), p. 9 (ASO, A.4.2; ASO, A.1.8.1); Hartmut MADL (1999), p. 263.

47 *Cfr* Ann. Ottil., 5.11.1930, p. 131 (ASO, A.3.4.4). - De hac Conventūs sessione *cfr* etiam Hartmut MADL (1999), p. 263; Cyrill SCHÄFER (2005), p. 178. - De possibili novā pecuniā creditā Helveticae Argentariae Cooperativae Abbas Chrysostomus tamen illā in sessione nondum quicquam commemoravit. Verisimiliter spem incertam excitare noluit, cum haec res nondum confecta esset.

impulsū alicuius Patris Ottiliensis se coactum sentiens⁴⁸ die 25^o m. Mart. a. 1931^o petitionem resignationis ad Abbatem Primatem misit rogans, ut eadem ad Congregationem Religiosorum transferretur.⁴⁹ Congregatio Religiosorum rescripto diei 14ⁱ m. Apr. a. 1931^o resignationem Archiabbe Norberti Weber accepit.⁵⁰ Illo autem die temporis spatium Norberti Weber in Archiabbatiā Ottiliensi finitum erat, quā de causā Abbas Chrysostomus eo ipso Archiabbas atque Superior generalis Congregationis factus est, uti iam praevisum erat, cum Coadiutor institutus erat. Hunc eventum iam post paucos menses accidere Chrysostomus Schmid non putaverat neque ullo modo speraverat.

Illo spatio temporis satis brevi, quo Abbas Chrysostomus Archiabbatiam ut Coadiutor duxit, magnum onus iam susceperat atque multum ad Archiabbatiam Ottiliensem servandam iam fecerat. Problemata tamen tempore, quo Archiabbas erat, non minorabantur.

SIGRIDES ALBERT

[VOX LATINA 242, 2025, pp. 495-506.]

48 De hac re aliquatenus mirā et etiam de perturbationibus, quas eadem in Norberto Weber effecerat *cfr* fusius cap. 4.14.5.

49 *Cfr* epistula Norberti Weber die 25 m. Mart. a. 1931 ad Fidelem von Stotzingen directa (ASA, APr 578).

50 *Cfr* Rescriptum Congregationis Religiosorum, 14.4.1931 (ASO, A.2.1.2; ASA, APr 578). Subscriptum est documentum Italice exaratum a Cardinale Alexio Henrico [*Alessio Enrico*] Lépicier.

De resignatione Norberti Weber exactum diem indicantes *cfr* etiam Cyrill SCHÄFER (2005), p. 181; Cyrill SCHÄFER: Benediktinische Kongregationen. *In*: Manfred WEITLAUFF (ed.) (2008), p. 766; Cyrill SCHÄFER: Sankt Ottilien. *In*: Germania Benedictina 2 (2014), S. 2000; Angelika SCHUSTER-FOX: «Dominus providebit». *In*: Rhaeten-Herold 61, Nr. 552, 2011, p. 4. Tantummodo mensem Aprilem indicant Frumentius RENNERT: Entfaltung. *In*: Leuchter 2 (1992), p. 41; Frumentius RENNERT: Norbert Weber. *In*: Adolf LAYER (ed.) (1976), p. 345; Godfrey SIEBER (1992), p. 137; Godfrey SIEBER (2016), p. 116; solum ipsum factum resignationis sine termino indicato commemorat Hartmut MADL (1999), p. 265; secundum Leandrum BOPP (1952), p. 62 (ASO, D II) resignatio fiebat quadrante anno, postquam Archiabbas Norbertus mense Ianuario Monacum transmigravit; Johannes MAHR: Norbert Weber. *In*: Godfrey SIEBER / Cyrill SCHÄFER (edd.) (2003), p. 173 solum declarationem Chrysostomi Schmid diei 20^o m. Apr. a. 1931^o ad resignationem Norberti Weber spectantem affert.